PARMENSIS BELLI CAUSSARUM VERA EXPLICATIO. IN QUA PRAETEREA, CUM DE PETRI ALOYSIJ...

Digitized by Google

PARMENSIS BELLI CAVSSARVM VERA EXPLICATIO.

QVANDOQVIDEM de bello, quod ciuitatis Parmæ cauſſa ſuſcitatum nuper eſt, vſque eò varij ſermones circumferuntur, vt (quod in eiuſmodi rebus fieri ſolet) impellere ignaros veri homines, nunc ad huius, modò ad illius partis cauſsam ſiue probandam, ſiue improbandam poſſe videantur: idcirco, vt omnibus illuceſcat veritas, néque ementitis fucatiſque rationibus aut obſcuretur, aut ſupprimatur: rem ipſam omnem, vt ſe habet, exponendam duximus. Ac princicipio quidem, Parmam ipſam, conſtat, antè quàm è viuis excederet Paulus III. Pontifex Maximus, in Eccleſiæ Romanæ poteſtate atque dominio, pleniſſimo prorſus iure, atque (vt dicitur) immediatè fuiſse, ipſumque Paulum in ea planè perſtitiſſe ſententia, vt eius ciuitatis ius apud ipſam Eccleſiam perpetuò hærere optaret: Ideóque Camillũ Vrſinum ei ipſi ciuitati cũ præſidio præfeciſſe, ibidemq; multo tempore, ſumptu ſanè quàm ingenti ſuo aluiſſe. Ac ne illud quidem obſcurum eſt, Octauium Farneſium, Pauli nepotem, quòd ſibi neſcio quid iuris in ea ciuitate adrogaret, eam ipſam technis quibuſdam ſubdolis, ſtructiſq; inſidijs adpetiuiſse, auóque ſuo ſubfurari conatum. Vt neceſſe habuerit Pontifex, miſsis Apoſtolicis literis, edicere ſuis, Octauium ipſum non modo in arcem, quæ illic eſt, ne reciperent, verùm etiam, vrbe ipſa tota vt prohiberent. Qua ſanè re effectum eſt, vt, vigilante Pontifice,

nil aliud ille tunc quidem fuerit conſecutus, quàm vt ipſius Sanctitatis iram ſibi concitaret. At verò mortuo deinde Paulo Pontifice, quū ſuffectus in Pontificium munus eſſet Iulius III, continuò Octauius Cardinalibus quibuſdam, amiciſq; intercedētibus, obnixè cūprimis, ſummoq; ſtudio & precibus ab eius Sanctitate contendit, vt ſibi Parma redderetur. Quanq; autem (ſi quis expendere accuratius ſingula cupiat) iuſtiſſimæ ſanè erant cauſæ, quam ob rem Octauij petitionem reijcere Iulius potuiſſet, primùm quòd ipſam Farneſiorum familiam non optimè de Eccleſia meritam eſſe conſtabat: quippe quum ab eis ipſis, vel certè eorum cauſa, Eccleſiæ bona ſic exhauſta fuerint atque dilapidata, non modò vt nihil reliqui in promptu exſtet, ſed vt reditus etiam ipſi atque prouentus in annos plurimos oppignerati ſint, deinde quòd cum ipſe Paulus, eorum videlicet auus, ipſorumque celebritatis atque incrementi primus autor, tanti tamen momenti vrbē reſtituere ipſis cunctatus fuiſſet: iuſtius quidē certè hic ipſe Pontifex cūctari potuerit: præſertim quū perrarò fieri, apud Romanos quidē Pontifices, ſoleat, vt anteceſſorum ſuorū progeniē, magnis vel honoribus vel donationibus proſequātur poſteriores: Ipſe tamen Iulius, cū alijs fortaſſe rationibus permotus, tū autē maximè, quòd Farneſio nomini iā inde ab eo tēpore, quū humiliore cōditione eſset, q; optimè ſemper voluiſset: quòdq; ipſis deinde priſtinā dignitatē atq; ornamenta ſalua eſse cuperet: atque vt eos in conſtanti erga Eccleſiā fide atque obedientia (quantū quidē in ipſo eſset) contineret, factioſoſq; eorū animos beneuolētia omni ſua & gratia quaſi frænaret, ſumma illos benignitate

nignitate cōplexos, voti cōpotes eſse iuſsit: Octauio Parmā feudi nomine obtinendā, reddidit: Inſuper, vt Farneſios omnes arctius Eccleſiæ obſtringeret, Ipſum Octauiū ſupremi ſigniferi munere (quod Confalloniam vocāt) quo certè maius aliud homini laico tribui nullum ab Eccleſia queat, perlibenter ornauit. Adhæc, ne quid in eius vrbis reſtitutione deſiderari, néue ea reſtitutio vlla ex parte impediri poſset aut extrahi, Camillo Vrſino, qui tū eam vrbē adhuc tenebat, dū eū inde euocat, xxx. aureorū millia de proprio numerauit. At nunc q̃; bonā Octauius atque Farneſij gratiā Pontifici cōtrà retulerint, operæpreciū eſt noſcere.

Quū nihil eſset planè, quod vel ꝑ diuino, vel naturali, vel cōmuni gentiū iure, aut pro honeſti atq; æqui ratione expectare Pontifex ab Octauio poſſet, aut ſuſpicari, q̃; vt is datæ fidei memor, eiuſq; gratitudinis quā deberet (quæ & apud Ethnicos magno in pretio eſt) omni ſtudio ſuæ Sti. vtpote domino feudali ſuo, obſequeretur, eā ſolā coleret atq; obſeruaret, neq; ſe cuiq; extero prīcipi (quod quidē cū eius ipſius Stis detrimēto fieret) adiūgeret, ſed ad eā vnā, ſi qua neceſſitas incidiſſet, cōfugeret: ille tamen ſubitò (vt qui cōtumacē atq; inquietū animū ſuū premere diu nō quiret) cōtempta ſacramēti religione, per ſummū dedecus, ingratiq; animi crimē, atq; perfidiā, cū exteris principibus, atq; adeò cū Henrico Frāciæ rege, cōtra dominū ſuū, ſub velamēto Parmæ protegēdæ, imponēdiq; præſidij, nefariè atq; exitioſè conſpirauit. Cui quidē conſpirationi, quod aliud prætexeret, nō habebat, niſi vaniſſimū quendā miniméq; neceſſariū, ac planè cōfictum metū, quòd videlicet ſe periculi neſcio quid, vel ab Cæſare Dom. clemētiſſ. ſuo, vel ab eius in

ducatu Mediolanenſi Vicario, Ferdinando Gonzagio, per timeſcere præ ſe ferret. Ac de Cæſare quidem ipſo, quàm ille neminem Vnquam (pro æquitate ſumma ſua) neq; oppreſſerit adhuc, neq; offenderit iniuſtè, quis eſt Vſquam mortalium omnium qui ignoret? Quid? quòd ea eſt Maieſtatis eius explorata omnibus magnanimitas, Vt ſi quid illum ægrius habeat, id apertè quidem, minimeque diſſimulanter fateri audeat: palámq; ab ſeſe iniurias propulſare. Gonzagium autem cur reformidare Farneſij debeant, non ſatis quidem liquet: niſi fortaſſis ad Placentinam illi cauſſam reſpiciunt. quam ipſam quóque (ne quid ignoretur) perſtringere hic libet.

QVVM Petro Aloiſio Farneſio, filio ſuo illegitimo, Octauij huius patri, Placentiam Parmamq; conceſſiſſet Paulus Pontifex: eumq; earum Vrbium nomine Ducali titulo inſigniuiſſet: Ille autem ſtatim à dominatus ſui primordijs, Neroniano planè exemplo (Vt eius erat ingeniũ) miſerorum ciuium facultates inauditis primùm Vectigalibus exhauſiſſet, & (quod dici ſolet) Viſcerum ac medullarum tenus exſuxiſſet: mox in omnes tyrannide impotẽtiſſimè deſæuijſſet: poſtremò etiam non modò in honeſtiſſimas quaſque fœminas, ſed in mares quoq;, nefarijs illatis iniurijs, homo impuriſſimus ſeſe cõtaminauiſſet: (qua de re tota, ne quid pudicas aures offendamus, nihil explicatiùs commemorare præſtiterit) breui quidem tempore (id quod neceſſe erat) euênit, Vt iuſtiſſimis doloribus efferati Placentini, (eo enim loco potiſſimùm regnabat) quum Vſqueadeo nullam ſibi ſpem ſupereſſe cernerent, Vt neque haberent, apud quem miſerandam Vicẽ ſuam deplorare tutò

poſſe

poſse viderentur, Tyrannum ipſum, cæco quodam impetu incurrentes, trucidarent. Quo quidem facto, quoniam, cũ Pontificem ipſum Paulum interempti patrem, tum Farneſios omnes infeſtiſſimos ſibi hoſtes eſſe factos intelligerent: certiſsimúmque ſibi propoſitum exitium, ſi Pontifici ei ſeſe dedidiſsent, quippe cum dubitari minimè oporteret, Farneſios filios eam patris cædem, quacunq; ratione poſſent, vlturos fuiſſe: nihil eis viſum eſt potius, nihil tantis effugiendis periculis accommodatius, quàm vt Ferdinandi Gonzagij, qui in propinquo, nempe Mediolani, & quidem cum poteſtate, Cæſaris vices ageret, primo quóque tempore fidem implorarent: quandò præſertim ciuitatem Placentiam ſacro Romano Imperio paruiſse olim meminiſsent. Hunc igitur cùm ſuppliciter oraſsent, vt ſe, Cæſaris nomine, in tutelam ſuã benignè ſuſciperet, atq; ab ipſorũ ceruicibus vim ac tela depelleret: fruſtrari nimirum eos ſpe ſua haudquam eſt paſſus. Ac videbat quidem ille alioquin, Vrbem eam in Imperij Romani fidem, atque ad priſtinã conditionem hac ratione redituram: quam occaſionem ſic oblatam, & quaſi diuinitus datam, tenendam ſibi, minimèq; remittendam eſse, prudenter quidem arbitrabatur: quum præſertim non dubium periculum eſset, ne, ſi ſupplices eos repuliſset, Farneſiæ illi factionis metu debilitati, ad eorum ſeſe amicitias ac fidem aggregare cogerentur: quos & ipſe Cæſar & Imperium (quod ad Mediolanum quidem pertineret) incommodos aliquando, minimeq; vtiles vicinos experirentur. Itaque Gonzagius, quos ſine certo diſcrimine repudiare neutiquam potuiſset, eos orantes, fidémq; implorantes ſuam, recipere benignè, quàm paratæ carnificinæ obijcere

obijcere maluit. Atque hinc quidem odium excitatum eſt Farneſiorum in Gonzagium, acerbum adeò, vt eius ſæpe vitæ inſidiatos illos fuiſse, ſicarioſque ſubmiſiſſe cõpertum ſit, qui ſe illũ ad cubiculi fores confoſsuros eſse receperint. Quem profectò ſi memorem aliquando fore tentatorum facinorum verentur Farneſij, quis, obſecro, qui modò penitus rem introſpiciat, non animaduertit, nemini planè quàm ipſos ſibi metũ ſuum imputare poſse? Quanquam tamen interim Cæſar, atque eius iuſsu, Gonzagius, cum alibi ſemper, tum autem maximè in ea ipſa regione quietiſsimè ſeſe continuerunt, néque mortaliũ cuiquam vllius faciendi motus cauſsam dederunt. Vt profectò rectius fuerit, Octauium ipſum atque Octauianos, eiuſmodi non neceſsariam, ſed adſcititiam formidinem non prætexuiſſe. Nam ſi verum fateri volumus, longè certè aliud quod illos moueret, fuit. Quid igitur? Nempe recogitabant illi, quãtis quoties, non modò Pontificatum obtinente Paulo, verùm etiam antea, beneficijs adfecti, prolixiſsimèque muneratì ab Cæſare fuiſſent, qui viam ipſis ad affinitatem ſuam ſtrauiſset: filia ſua naturali Octauio in matrimonium data, qui Petrum Aloiſium patrem, pleniſsima dominatione Nouariæ ciuitatis, quæ eſt in agro Mediolanenſi, perbenignè auctum Marchionis titulo in omnẽ poſteritatem cohoneſtauiſset. Recordabantur etiam contra, ſecumque cogitabant, nihil ſe munificentiſsimo Cæſari, præter ingratiſsimum animum, fraudeſque, ac ſummã perfidiã repoſuiſse, nihilque non clandeſtini ſceleris in illũ molitos, nullã non peſtẽ nefariè machinatos: ac nominatim quidem, quo ille tempore in Germania cum perduellionibus

eius gen-

eius gentis bellabat, eo ſe tempore ſuppetias ei ferre ſimulantes, ea clanculum iniuiſſe conſilia, quibus Mediolanum ac Genuam ſubtrahere ſacro imperio poſſe ſperarent, in eoq; præclaro facinore virum egregiè ſtrennuum Ioanninum Doriam, vnaq; complures honeſtiſſimos homines perfidioſè necatos. Hæc, inquam, illi recordabantur: ſimulque ſuſpicabantur (quod neceſſe quidem erat) Cæſarem, etſi clementem, haudquaquam tamen ſilentio diſsimulaturum tantam perpetuò ſcelerum importunitatem atque licentiam: Sed aliquando tandem ab ipſis pœnas factis dignas repetiturũ eſſe. Itaq; flagitiorum ſuorum impunitatis ſpem nuſquam maiorẽ, neq; ſecurius præſidium cum inuenirẽt, q̃ in reipublicæ totius Chriſtianæ perturbatione, rerumq; confuſione omnium: eam vt certius obtinerent, illud potiſſimum ſtudium fuit, potentiſſimos duos principes, (Cæſarẽ dico & Gallum) mutuis inuicem implicare diſſenſionibus: inq; terra Italia (quæ Cæſaris optimi cura atq; prudẽtia annos iam amplius viginti pacata fuiſset) nouum rurſus incendium flammamq; excitare: nimirum ex publica calamitate (vt ipſorum immodeſta eſt, & inhumana cupiditas, inſolenteſq; ſpiritus) ſecundiorem fortunam, atq; honores, non modò ſupra æquales omnes, ſed dignitate ſuperiores, ſanguiniſq; nobilitate longè digniores, ſibi proponẽtes, atq; ſperãtes. Etenim ſi quam aliam metus cauſſam habebãt, iuſtam atq; probabilẽ cur obſecro non ad Pontificem potius, verũ atq; vnicum dominum patronumq; ſuũ, q̃ ad extrariam cuiuſuis defenſionem confugerent? cur non illius conſilium expeterent? cur non eius opẽ atq; auxilium, fidiſsimum ſimul & maximum expectarent, qui nõ ſemel eis vltro ac liberaliter omnia detuliſset, ac diſertè

B quidem

quidem promiſiſſet, eis ſe (ſi quid accidiſſet) non opibus ſolùm, ſed proprio corpore preſtò futurum, orbemque Chriſtianum vniuerſum ad ferendas ſuppetias clara voce inclamaturum fuiſſe? Quam ille ſummam voluntatem ſuam minimè herclè obſcurè comprobauit tunc, quum ipſi Octauio, in Parmēſe præſidium, coronatorum aureorum millia duo ſingulos in menſes, ſtipendij nomine, quingentis alendis equitibus: mille etiam præterea coronatos priuatis eius ipſius vſibus eſt elargitus. Eiuſmodi enim ſumptibus parcere eius Sanctitas hauddubiè potuiſſet, ſi talem perfidiam ac nefas à Farneſiorum gente fuiſſet vnquam ſuſpicata.

Pontifex igitur Farneſiorū technas, pernitioſoſq; conatus vt primū certius deprehēdit, grauiter, pro eo ac debuit, & moleſtè cumprimis tulit. perſpiciebat enim prudentiſſimus ſenex, quid hîc mōſtri aleretur: &, quē ad exitū res ſpectaret, præuidebat: neq; quicq̄; hîc minus, q̄ Farneſiorū ſecuritatē quæri: hoc autem tātum agi facilè intelligebat, vt, quū Cæſar Parmam Imperialis iuris eſſe contēdiſſet, ac propterea Francorū illic Regem (ad quē vrbs ea nihil planè pertineret) præſertim tam propè à Mediolano, neutiq; laturus eſſet, mox nimirū inter eos ipſos certū diſſidiū, bellūq; non dubiū concitaretur. Illud quoq; perpendebat eius Sāctitas fore, vt ſi ad has Farneſiorū machinationes conniueret, in eam apud omnes bonos ſuſpicionē veniret, quaſi cui turbæ eiuſcemodi haudquaq; ingratæ accidiſſent: vndè non tātùm calumniarentur ipſam maleuoli homines, verùm etiā tum ipſi, Romanæq; ſedi, tum alijs Italiæ principibus, rebuſque publicis, maximè quæ Parmenſem agrum viciniùs attingerent, detrimēta atque pericula ſtruerētur. Et quid alioqui Gallici regis intererat Parmenſis ſocietas? cuius,

vtpote

vtpote remotiſſimæ, nullus vſus Franciis, ſi quis id regnum inuadat eſſe queat? Nam immenſos adeò ſumptus illũ vel Eccleſiæ commodorum, vel cõmunis pacis gratia ſubiyſſe, nemo quidẽ ſanæ mẽtis exiſtimauerit: quippe quũ & ipſius Eccleſiæ adminiſtratorẽ Pontificem hæc mala potiſſimè petant: & Italiæ diutina tranquillitas, nouis hiſce de repentè turbis excitatis, diuexetur. Iam verò, illum iſta quis credat Farneſijs ipſis honeſtandis ſuſcepiſſe, quibuſcum ei nihil antea rei fuerit? Nam Horatium quidem Farneſium etſi aliquamdiu apud ſe aluit (quemadmodum ſeſe id genus hominum nuſquam non inferre ſolent atq; intrudere) tamen arctior illa amicitia, quæ ei ipſi Horatio filiam notam Regis copulauit, non quidem viuente Paulo, quo tẽpore Farneſia domus maximè efflorebat, contracta fuerat: ſed nuper adeò, quum ea, quæ diximus, iam ſtruerentur, vel eſſe primùm cœpit, vel rata certè fuit. Vt nihil me hercule, facilius eſſe videatur, quàm quónam artes illæ tendant, animaduertere. Si enim Rex ille tantopere Farneſijs ſtudebat, non poterat ſanè ſtudium illis ſuum, néque euidentius, neq; verò ad dignitatem ſuã præclarius, oſtẽdere, q̃; ſi eos, tum vt Pontifici domino ſuo libenter obſequerentur, tum vt Cæſaris in ſe beneficentiæ omnibus grati animi ſignificationibus reſpondere mallent, adhortaretur. Verùm hoc vnum, hoc, inquam, vnum Henricum regem hac in re ſequutum eſſe, hunc denique ſcopum eius fuiſſe vnicum, vidit Pontifex: vt, quemadmodum Mirandulã nuper Franciſcus pater, ſic Parmam ipſe quaſi nidũ quendam fingeret, aut lacunã potius conſtitueret, vbi fecem hominum perditiſſimorum, tota vndique Italia proſcriptorum atque eiectorum adfluentem confoueret: vndè modò

Eccleſiæ, mox Cæſaris ſacriq; Imperij, ac reliquorum etiã Italiæ principum terras, quacunq; tandem libitum fuiſſet, perfunderet, &, quaſi peſte quadam teterrima inficeret, atq; contaminaret. Qua in re minimè falſum fuiſſe iudicio Pontificem, docet tot iam Stroziorum è Florentia, Freguſorum è Genua, Bentiuolorum è Bononia effuſa atq; auerſa, eamq; in vrbem deriuata ſentina. Quæ quidem vt maximè non eſſent, qui potuiſſet tamen eius Sanctitas æquo animo pati, feudatariũ ſuum Octauium, vrbem eam (quam Eccleſiæ feudum eſſe ipſa contendat) ignorante ſeſe, neq; adnuente, principi externo protectionis nomine dédere? eũq; ad modũ ſimul & domini ſui autoritatẽ proterere, ſimul etiã Eccleſiæ partũ ius imminuere atq; ſubtrahere? Ac tametſi his omnibus de cauſſis neutiquam iniquũ fuerat Pontificem inter ipſa ſtatim initia (quod quidẽ fortaſſe præſtitiſſet, Octauij furioſis conatibus aciem obuertere: maluit tamen benignus ac pius & ab aſperitate abhorrens pater, leniter primùm rem tractare: ideoq; miſſis & literis & legatis, magnæ cum primis autoritatis viris, atque inter hos Cardinalibus aliquot, vno etiã nepote ſuo, non cum rege modò, ſed ipſo etiam cum Octauio diligenter egit, omniaq; ſedulò tentauit, ſic planè, vt ſe longè humilius Vaſalli videlicet perfidi cauſſa, demittere ſuſtinuerit, quàm ſummæ ſuæ dignitati congruere videretur, dum hoc vnum ſibi propoſitum habet, vt vtrunq; ab eiuſmodi iniquis periculoſiſque ſtudijs auertat. Neque quicquam tamen Pontifici ab vtrocunque reſponſum, ſed variè ſæpe extracta atque comperendinata res eſt, donec Aramontius, eius regis ad Solymannum Legatus, è Conſtantinopoli reuerſus, aduentum claſſis Turcicæ certò nunciauit. Tum

enim

enim demum confirmata res, tum demum prolata factio eſt, tum demũ Pontifex apertè repulſam tulit. Quum porrò claſsis ea, per hoſce menſes, tot miſerrimos Chriſtianos, iumentorum in morem abactos, in barbariſsimam atq; immaniſſimam ſeruitutem auexerit, quum Vrbem Tripolim, quæ Reip. Chriſtianæ aduerſus Barbaros in eo tractu Africano propugnaculum fuit, Gallorum dolo atq; perfidia ceperit: quis, obſecro, dubitabit poſthac, cui nam tantarũ calamitatum aceruum atq; illuuiem, grauiſsimumq; diſcrimen, in quod præcipitatus eſt Chriſtianus orbis, accepta referre debeamus? qui præſertim ſciat, ex ea ipſa Vrbe, quum iam à Turcis circumſederetur, euocatum fuiſſe ad colloquium ab eo, quem diximus, regio legato, qui tum quóque in Turcarum caſtris erat, ſupremum eiuſdem Vrbis ducem, hominem & ipſum natione Gallum, è militari ordine qui Ioannitæ vocantur: ſtatimque ab eo colloquio, Vrbem ipſam, pariterque arcem deditam Barbaris, nulla quidem neceſsitate, fuiſſe: mox etiã ducem ipſum Gallum, & quoſcunque ille incolumitati deſignauiſset, innocuos atque inoffenſe, ſaluis etiam facultatibus, eductos: quotquot autem reliqui eſſent, quorum in numero viros optimos fuiſse permultos conſtat, Morato Agaro, Turcico duci ſupremo, nẽpe hoſti inclementiſſimo & implacabili traditos fuiſse, ſubitóque crudeliſsimè, & miſerabilem prorſus in modũ, contrucidatos, atque in fruſta conſciſsos. Verùm huius rei iudicium Deo Opti. Max. (qui profuſionem innoxiorum Chriſtianorum ſanguinis, in ijs ipſis, qui cauſſam præbuerunt, ſeuerè vindicaturũ eſt) nos quidem permittamus.

Poſtquàm igitur ſpes omnes ſuas fruſtratas eſse Pontifex comperit, iuris viam perſequi aggreſsus, Apoſtolicum

 breue ad

breue ad Octauiū mittit, pœniſq; grauiſsimis propoſitis, nē pe perduellionis, læſæ Maieſt. bonorū proſcriptionis, feudorumque & priuilegiorū ab ſeſe atq; ab Rom. ſede acceptorum adēptionis, interdicit, ne cuius ſe principis clientelæ, ſtipendijsve addicat: néue præſidium vllū intra Parmā recipiat: ac neq; pactū vllū Parmæ nomine faciat: ſin quæ fecerit, fieri ve pro ſe paſſus fuerit, ea cōfeſtim vt retractet, atque aboleat. Mox deinde, monitorio emiſſo diplomate, grauioribus etiā pœnis indictis, Octauium euocat, vt ſe ipſe corām ſiſtat, crimē ſi queat, diluturus: ſin minus, vt expectet ea, quæ iuris ordo poſtulet. Quæ cum omnia contemptim negligens Octauius nequaq; prodijſset, Pontifex ex formula ſcripti iuris definitiua lata ſententia, pœnis eū indictis omnibus mulctauit: ad eiusq; ſentētiæ exſecutionē, Cæſareæ Maieſt. conſilium atque auxilium implorauit. Ipſe autem Cæſar (ad quem, vtpote ſupremum aduocatum, tū etiam, quum non aduocatur, iuſta protectio atque defenſio ſanctæ Eccleſiæ, eiuſque ipſius bonorum, iuris, conſuetudinumque conſeruatio precipuè pertinet) quum iuſtiſſimam omnino cauſsam eſse Pontificis, & (quod dici ſolet) meridiana luce (vt & omnibus liquet) euidentiorem perſpexiſset: ac, quæcunque contra dicerentur nugas eſſe meras, ſuperuacuaſque & accerſitas ineptias: tantam ingratiſſimi Octauij in dominum perfidiam, teterrimaque flagitia, ſine periculoſiſſimo exemplo tolerari nulla ratione poſse, rectiſsimè eſt arbitratus: quin & ſui eſſe officij, plurimumque Imperij ſacri intereſſe iudicauit, excitatum hoc incendium, quamcitiſsimè, omnique ope reſtingui, atque ipſi Italiæ priſtinam reuocare tranquillitatem. Itaq; expetitum à Pontifice vel conſilium vel auxilium denegare

gare minimè potuit: maximè, quum ſe Farneſij adeò non continuiſsent, vt è Mirandula, cum proſcriptorum, de quibus antè commemorauimus, manu, in Bononienſem pacatiſsimum agrum, hoſtiliter derepentè, néque iure gentium indicto bello, (quod Francorum regis mandato factum ipſi profeſsi ſunt) irruiſsent: Pontificiſque ditionem eam, populabundi ferro atque igni vaſtauiſſent, vt profectò Pontificem, niſi crudelis in ſuos eſse ſuſtineret, vim vi depellere, atque armis arma obijcere, repugnaréque pugnantibus neceſse habuiſse, nemo non videat.

Ac quoniam in Mirandulæ mentionem incidi, non ab re fuerit, quánã ſe via Franci eôdem quóq; intulerint, quaſi prætereuntem exponere. Galeotus Concordiæ comes fuit. Ei patruus erat Ioannes Franciſcus Picus Mirandulæ Comes, egregia tum pietate tum eruditione ſenex: ab hoc ille quum Mirandulam ſibi cedi (quam ſuam eſſe neſcio quo nomine adfirmaret) fruſtra petiuiſset, atque inſidijs & proditione niti, quàm iure experiri, mallet: mactatoribus aliquammultis ſtipatus, intempeſta nocte in arcem Mirandulanam, admotis ſcalis, euaſit: ſanctum illum ac venerandum ſenem, quem ad aram ante Chriſti ſaluatoris cruci adfixi ſimulacrum, genibus nixum, & cum lacrymis orantem offenderat, eodem loci importuniſsimè atque inhumaniſsimè confodit: nec minus, filiolum eius Albertum, innocentem puerum, improbiſsimè necauit: familiæ reliquum, partim confectum ac ſaucium eiecit: quoſdam in teterrimum carcerem coniecit. Cuius abominandi facinoris nuncium quum rumor primùm ac fama, deinde etiam Ioannes Thomas trucidati ſenis ſuperſtes filius, iuſtitiæ iuriſque fidem

implorans

implorans, ad Cæſarem, ſupremum eius regionis dominũ, in Hiſpaniam vſq; pertuliſſet, illeq; ius adminiſtrare quærenti cuperet. quæſitores illico viros incorruptos, qui cauſſam cognoſcerent, dedit. At Galeotus (cui mens ſceleris cõſcientia impedita eſſet atque oppreſſa) anxius vt euadere capitis ſupplicium poſſet, quò videlicet legum neruos incideret, ſeque iudicio ſubtraheret, periculiſque eximeret, eò breui confugit, vt ſeſe ipſum arcemq; Mirandulanã protectioni atque tutelæ Franciſci Gallorum regis ſubmitteret, eum ad modum ſacri Imperij ius atq; Maieſtatẽ (quod quidem in ipſo fuit) conuellens atque imminuens. Quam rẽ ſic acerbè Cæſar non immeritò tulit, vt quamuis ſæpe ac multum de reconciliatione interpellatus, atque adeò à Frãciſco Regè maiorem in modum atque obnixè inprimis rogatus, eo tempore, quo nuperrimum pacis fœdus Criſpiaci coijt, omnes tamen omnium preces adeò conſtanter reiecerit, vt illud quoque ipſum fœdus irritum eſſe malle præ ſe tulerit, quàm ſcelus tam atrox condonare. Qua etiã de cauſſa in eiuſdem fœderis formulam nõ niſi fideles atq; obedientes imperio ordines concluſos atq; comprehenſos voluit, vt nimirum Galeoti contumacis cauſſam manifeſtò excluſam eſſe appareret. Quæ cum ita ſe habeant, et Galeotus primùm, deinde & eius hæredes, violenter, parique contumacia illi arci ad hoc vſque tempus inſidere, ſacróq; obluctari imperio perrexerint, iudicia contempſerint, ſeſe in exterorum tutelam, eludẽdæ iuſticiæ gratia dediderint: Pontifex autem conſtituerit, eiuſmodi peſtilentes nidos diſturbare, atque diſperdere, quis tandem recti & honeſti amans dubitabit, quin Cæſaream ſeueritatem, quũ pro ſuo atq; imperij ſacri iure ſtabiliendo, tum pro legũ autoritate

retinendæ

ret[illegible]enda, hoc eſt, mulctandis malis, tutandis bonis, o[illegible] ſuam atque auxilium ferre Pontifici oportuerit? [illegible]l? quod alioquin ſummum atque propinquum à publico hoſte Turca imminens diſcrimen, in quod periculoſiſſimo hoc tempore, orbem vniuerſum Chriſtianum communiter adductum eſſe atq; inuolutum videmus, haud dubiè poſtulat, vt (ſi non prorſus omnia ſemel perdenda ſunt) duo reipublicæ Chriſtianæ columina, Põtifex & Cæſar, fide q̃; optima inter ſe obſeruent, ſtrenueq́; opitulentur, atque officijs omnibus mutuè reſpondeant. Quam quidem ad conſenſionem ſummam, atq; auxilij adiunctionẽ propendêre pium vbiq; Cæſarem, eò ſanè æquius fuit, quòd Põtificem hunc Iuliũ, ab ipſa vſque felici inauguratione ſua, complura ad hunc diẽ, Chriſtianis rebus egregiè ſalutaria, ſapiẽtiſſimè atq; prouidentiſſimè cõſtituiſſe conſtat. Accedit eodem, quòd idem, vt, quantopere ad pacem affectus eſſet, oſtenderet, in medio etiã bello, cõditiones æquiſſimas Octauio, rogatus detulit: pollicitus videlicet, ſi modò Parma excederet, Ducatũ ſe ipſi atq; filio Camerinenſem, ſeudi nomine traditurũ, cum annua aureorum octo millium penſione in vtriuſq; vitam, ac præterea munus Pontificij vicarij in ciuitate Noua in omnẽ poſteritatẽ. Quæ conditiones q̃s non iniquæ fuerint, æſtimare inde quidẽ licet, quòd viuẽte Paulo Farneſio, Camerinẽſis ducatus ſolus, duobus, nempe Parmenſi & Placẽtino exæquatus fuerit, atq; cũ ijs ipſis compenſatus. Iam verò, quum Francorum regis miniſtri vbique iactitarent, non aliud eũ regem expetere, [illegible] ſecurus redderetur, Parmiam in Cæſaris manus

quòd inuidiam hîc atque malignitatem regis clarè perſpiceret initio ſanè cauere recuſaſſet: Cæſar tamen, vt primùm certior factus eſt, ne quid ea res pacem communem remoraretur, vtque oblatas ab aduerſariorum importunitate falſas criminationes depelleret, ideo ſuppetias eũ ferre Pontifici ſuſurrantium, quò Parma ipſe poſtmodò potiretur: nõ modò libenter adſenſit, eam cautionem fieri, ſed mox apud Pontificẽ, literis ſua manu ſubſcriptis, perdiligenter egit, atque etiam orauit, vt ſeſe ipſam Sanctitas eius quantũ omnino arctiſsimè atq; efficaciſsimè poſſet, obſtringeret, atque confirmaret, Parmæ dominium apud Ecclesiam in omne poſterum tempus eſſe permanſurum: neq; cuiquam alteri, ac nominatim, ne ſibi quidem ipſi, traditũ illud vnquam iri: tantummodo (ne ſuis in Imperiali dignitate ſucceſsoribus ademiſſe quicquam videretur) ſuum Imperio ius ſaluum fore ſtipulatus. Ad hæc, quæcunque tandẽ Farneſij ſub Maieſt. ſuæ ditione poſſediſſent, atque in ijs etiam Nouariam, reſtituturum ipſis eſſe, modo Pontificias illi conditiones acciperent, pollicebatur: ipſique adeò Pontifici hæc ita omnia conficiendi atque tranſigendi poteſtatem faciebat. Verùmtamen ad extremúm nihil horũ néque Farneſys, néque, qui eos in fidem cœperat, Patrono Regi, placere potuit. Ceterùm, quoniam nulla erat ratio, cur idem rex hoſtile quicquam in Cæſarem moliretur, quũ néque læſus ab eo, néque prouocatus fuiſſet, fœderáque etiã dum conſtarent, atque eius ipſius regis orator, in aula Cæſaris agens, ſpem maximam atque certiſsimam dediſſet conſtantiſsimæ concordiæ, quòd ad regem quidem ſuum pertineret, quum illum à patre permultũ diſtare fide atque conſtãtia ſæpe diceret, plurimũq; inter huius atq; illius interfore

fore gubernationem, quippe nunc demum (nam ſic ille loquebatur) ita, ita fore: atq; non, non. ipſe ſanè Cæſar nihil ſuſpicatus, ducibus atque adminiſtris ſuis ſubditiſq; omnibus ſeriò imperauit atque edixit, vt Gallos omni beneuolentia (quemadmodum inter vicinos ac ſocios deceret) cõplecti pergeret. Intereà verò Rex ille, nulla neque huiuſce rei, neq; adeò propriæ exiſtimationis ratione habita, ſuperioribus diebus, & quidẽ Oratore apud Cæſarẽ ſuo magna cum amoris aſſimulatione hærente, nullo denunciato bello, nullis inimicitijs indictis, contra omnes iuſti belli leges, ipſum Cæſarem, eiuſque legibus ſubiectos populos, multifariam, terra mariq; adortus, hoſtiliter eſt deprædatus. Etenim (vt hæc quoq; cognoſcãtur) Paulinus Gallicæ claſſis præfectus, naues nuper aliquot onerarias maiores, quæ merces ex Belgarũ portubus in Hiſpanias tranſportabant, quũ in Oceano curſum tenentes, non quidem planè inermes, eſſet conſpicatus: néque in eas vi, atq; aperto (quod dicitur) Marte incurrere auderet, per ſummam atque odioſiſſimã fraudem circumuẽtas cepit. Præmiſit nauigiolum ſpeculatoriũ, quod nauarchis denunciaret, Scotorum ibi reginã vehi, itaq; viderent eã, pro nautico more, q̃; honorificentiſſimè vt ſalutarent, felicemque nauigationem ominarentur: nempe carbaſa vt demitterent, & bombardarum globos hilariter eiacularentur. Quod cum faciles nimium & creduli homines, nihil quidem cunctãtes atq; etiam alacriter feciſſent, vt qui mali nihil ne ſuſpicarentur quidem, & Cæſaris ſui voluntatem, qui ſinceram cum vicinis amicitiam imperauiſſet, libentes exſequerentur: Ille confeſtim

ſanè difficulter in naualia Francica ut nauigia ſecu'r. im pelleret, coegit. Per idem fermè tempus, nō diſſimili admodū fraude Galli in Mediterraneo etiam vſi ſunt mari.

Nam cum Andreas Doria, Cæſarearū claſsium eo in mari præfectus, bona fide ac palàm triremes ſuas Genuæ appararet, quibus Boemiæ regē, eiuſq; coniugem Cæſaris filiā ab Hiſpania in Italiā traduceret, Gallicarū triremiū dux, cui Priori Capuæ titulus eſt, triremes omnes eas, quæ ad Maſsilienſem oram eſsent, exarmarat penitus, expoſitumq; in littus militem claſſiarium, ſecedere interius prouinciam iuſſerat, ſperās videlicet fore, vt eo rumore ſupinior factus Doria, tantaq; illectus ſecuritate, non quidem altum teneret, ſed littus Gallicum legere mallet. mox autem vt ſoluiſſe intellexerat, extemplò ſuas rurſum armarat naues, militéque denuò impoſito, in ſtatione fuerat, fore nimirum ratus, vt inopinatò ſecurum exciperet, prædā pariter ſibi & gloriam pollicens. Verùm quum procedere Doria per tempeſtates adeò nequijſſet, vt in Villafrancanum portum vento reiectus eſſet, ſuſpicati Galli, detecta iam fraude, minimè littora ſequuturum eſſe, ſed alto mari rectà in Hiſpaniam directurum: aliud æquè perfidioſum ſtratagema tentarūt: quippe claſſem ſuam propiùs Hiſpanica littora promouerunt, vt anteuerſam Dorianam, (ſi quæ modò fortuna æquior affulxiſſet) interciperent, atque oppugnarent. Quod ne ipſum quidem conſilium quum euenīſſet (etenim Doria immoderatiore iterū ventorū tempeſtate retentus primùm fuerat, deinde factus harū rerum certior, dum Cæſarem quóque in Germania tunc agentem, cuius iniuſſu pugnandum ſibi non putaret, certiorem facit, & quid fieri ille iubeat, expectat, diutius

utius

atius ſe Genuæ continuerat) illi ne tantos conatus fruſtra ſcilicet paraſſe viderentur, tertium etiam qui bellè caderet, adiecerunt dolum, Quoniam enim triremium numero Doriam penè æquabant, & Gallorum in ea parte inſolens tunc erat & inaudita nauigatio, claſſem videlicet ſuam, Dorianam eſſe ſimulantes, recto curſu in Barcinonis vrbis conſpectum (vbi in terram deſcendere Doria ferè ſolet) adnauigant: Emittitur illico à Barcinonenſibus obuiam longa nauis vna, vt aduentantē ſcilicet Doriā publico nomine atq; honoris cauſſa, de more, ſalutaret, congratularetur, deduceret. Eam nauem ſic vrbanè reſalutarūt Galli, vt fraude exceptā, vnaque magnas ſex, commeatu Boëmiæ regis onuſtas, in ancoris quæ ſtabant, ſecū abduxerint. Paruo deinde interiecto tēpore, cōtractus ab Rege Henrico exercitus, præter omniū expectationem, Alpinos Allobroges quinis ſenis ve locis inuaſit, agriſq; depopulatis, vrbes aliquot cepit. Quibus tandē omnibus perfectis, Oratorē tū deniq; ſuū Rex ab Cæſare domū auocauit. Quas quidem ob res, quū euidentius nihil eſſe poſſit, q̄; quieſcere regem eum neutiq; conſtituiſſe, ſed pro libidine ſua, infeſtandi Cæſaris occaſiones vndelibet quærere atque captare: perſpicuum profectò eſt, non hic Farneſiorum ſalutem, non Parmæ tuitionem agi: verùm hoc vnū expetere, hoc vnum ſtudere eum ipſum regem, hoc vnum omnibus opibus viribuſque elaborare, atque contendere, vt vniuerſis optimi Cæſaris, in re Chriſtiana vel pacanda, vel à communi hoſte protegenda, conatibus, ſeſe, quantum omnino poſſit, cōtra ius faſq; obijciat, atque inde ſuū augeat

ſtatuit, ac nullius prorſus hominis, ſiue vociferationibus & iactabunda magniloquentia terreri; ſiue ſuſurrationibus vnquam & ſibilis cōmoueri, penitus ſeſe obfirmauit, cum ſolum vocatura auxilio, qui vt ſumma ipſe Iuſtitia eſt, ſic etiam, iuſtis conatibus haud dubiè tandem eſt adfuturus. Atque hactenus quidem verè ac ſimpliciter ſineque vllis orationis illecebris, fucisque accerſitis, quo quæque res ordine geſta eſt, ita expoſuimus, vt quàm grauis Cæſarem neceſſitas ad iniquiſſimos in ſe hoſtium impetus reprimendos depellendosque adigat, orbis vniuerſus Chriſtianus cognoſcat.

¶ EXEMPLVM LITERARVM, QVIBVS CAESAR IMPErii ordines de violata à Gallis pace, belloq; ſibi & ſubditis ſuis illato, certiores reddit.

CAROLVS Diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus, &c̄.

ILluſtris Princeps, conſanguinee chariſſime, pro ea qua te proſequimur beneuolentia prætermittere noluimus, quin tibi (quod pro temporū præſentium cōditione ſine animi noſtri perturbatione non poſſumus) tamen ſignificaremus, Francorum Regem, de quo ſanè nos hoc tempore nihil tale ſperabamus, violato pacis fœdere, quod poſtremū nos in ipſa Gallia cū præclariſſimæ memoriæ patre ipſius Franciſco Rege pepigeramus, in quo & communes ſtatus Imperij continebantur, quódq; ille ſe toto Regni ſui tempore quàm religioſiſſimè ſeruaturum eſſe, aſſiduam & certā ſpem dederat. Poſt omnes illas occultas & verſutas machinationes, quas adhuc in meum, ſacriq; Imperij, ac totius deniq; Reip. Chriſtianæ detrimentum, cōmunis pacis perturbandæ gratia, temerè atq; perniciosè molitus eſt, nunc etiā præter omne meum meritum, nulláq; cauſſa laceſſitum, omnia in nos hoſtilia cōcepiſſe, in noſtras & Imperii ditiones, cum in Italia, tum alia noſtra hæreditaria regna, prouincias, & ſubditos, & quidem nulla præcedente monitione, plurimis in locis tam mari quàm terra violentè inuaſiſſe oppreſſiſſéq;, atq; in eo ipſo etiamdum pergere atq; perſeuerare. Itaq; nos etiā atq; etiam cogi, vt (tametſi, quantum oneris atq; incōmodi bellum ſecum trahat, facilè perſpiciamus) pro noſtri tamen & Imperii proprietatis, ſuperioritatis, iuriſq; cōſeruatione, & aliorum noſtrorum principatuum & ſubditorum nobis

Francorum Regem, protectione, de capiendis armis declaramus: freti nimirum ſpe diuini auxilii, nos eò rem directuros promoturóſque eſſe, vt nos ab huiuſmodi aduerſarii noſtri iniuria (quam nulla motus noſtra cauſſa, ſed ſolùm, vt Chriſtianã Rempublicam in turbas concitaret, nobis intulit) quantum quidem in nobis erit, vindicemus. Quapropter licet perſuaſum habeamus, te neceſſariam hanc noſtram defenſionem non modò in nullam ſiniſtram ſuſpicionẽ rapturum, verùm etiam opera nobis omni tua atq; auxilio ſponte tua adfuturum eſſe: voluimus tamen rem tanti momenti tibi cõmunicare, vt & tu rem ipſam, vt ſe haberet, cognoſceres, & te ipſum tuóſq; nobis paratos haberes: in primis autẽ omni diligentia curares atq; adniteteris, vt edicta noſtra dè milite & apparatu bellico antea promulgata, firmiſſimè obſeruetur, executioniq; mãdentur: in infractores etiam meritis pœnis ſeuerè animaduertatur. In quo facturus es expreſſam noſtram voluntatem. Dat. in ciuitate noſtra Imperiali Auguſta Vindelicorũ, vltimo die menſis Septembris. Anno domini LI.

Imperii noſtri

XXXI.

BIBLIOTECA NAZ.